

## VERSION LATINE

---

### Les rêves prémonitoires d'Hannibal

Hannibalem Coelius scribit, cum columnam auream, quae esset in fano Iunonis Laciniae, auferre uellet dubitaretque utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perterebrauisse, cumque solidam inuenisset, statuisse tollere. Ei secundum quietem uisam esse Iunonem praedicere ne id faceret ; minarique, si fecisset, se curaturam ut eum quoque oculum, quo bene uideret, amitteret<sup>1</sup> ; idque ab homine acuto non esse neglectum ; itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam<sup>2</sup> curasse faciendam et eam in summa columna conlocauisse.

Hoc item in Sileni *Graeca historia* est (is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est) : Hannibalem, cum cepisset Saguntum, uisum esse in somnis a Ioue in deorum concilium uocari ; quo cum uenisset, Iouem imperauisse ut Italiae bellum inferret, ducemque ei unum e concilio datum, quo illum utentem cum exercitu progredi coepisse ; tum ei ducem illum praecepisse ne respiceret ; illum autem id diutius facere non potuisse elatumque cupiditate respexisse ; tum uisam beluam uastam et immanem circumPLICATAM serpentibus, quacumque incederet, omnia arbusta, uirgulta, tecta peruertere, et eum admiratum quaesisse de deo quodnam illud esset tale monstrum, et deum respondisse uastitatem esse Italiae praecepisseque ut pergeret protinus, quid retro atque a tergo fieret ne laboraret.

Cicéron, *De diuinatione*

---

<sup>1</sup> Rappelons qu'Hannibal était borgne...

<sup>2</sup> *Bucula, ae* : « génisse »